

possint anticipare officia longiora, et reservare brevia pro diebus majoris occupationis. 2. Clemens VII. concessit omnibus Regularibus infirmis (intelligitur de illis infirmis qui per se non excusantur ab officio), et infirmariis posse satisfacere officio recitando 6. aut 7. psalmos (assignandos a Superiore). 7. *Pater* et duo *Credo*. Et Martinus V. concessit convalescentibus ut satisfacere possent dicendo illam officii portionem, quam judicaverit eorum confessorius. 3. Innocentius IV. concessit Monialibus s. Clarae (et ita intelligitur pro omnibus aliis communitatibus) satisfacere officio conversarum ob quamcumque rationabilem causam, v. g. si religiosa non sit bene instructa juxta judicium Abbatissae, aut confessorii, in officio choristarum: aut si sit scrupulosa, aut ob labores lassas, aut occupata in rebus utilibus, ut esset Religiosis esse applicatum ad excipiendas confessiones, praedicationi, aut studio ecclesiastico pro majori diei parte. Etenim supponitur, quod privilegium concessis Monialibus gaudeant etiam Religiosi *ad invicem*, ut dictum fuit n. 10. Animadvertunt insuper Salmantic. hujusmodi privilegio eos posse uti etiam sine licentia Superiorum: fuit enim concessum sine ista conditione. Animadvertunt praeterea, quod si Moniales omitterent laicarum officium, utentes hujusmodi privilegio, non peccarent lethaliter, quia tunc reputantur ut laicae, quae sub mortali non tenentur ad sui officii recitationem. Sed hoc non mihi placet, etenim hujusmodi privilegio Monialis non transit in qualitatem laicae, sed tantum officium ejus chorista transit et commutatur in illud laicae.

108. 5. Confessarii Mendicantium, et caeteri Regulares communicantes potestatem habent irritandi, remittendi et dispensandi juramenta, ac vota. Sed hac de re dictum est *Tr. 5. n. 42. et seq.* possunt insuper dispensare cum conjugibus quoad im-

pedimentum ad petendum debitum propter incestum commissum cum consanguinea conjugis, ut communiter aiunt Sanch. Pontius Salmantic. aliique contra Patrem Concinam ex multis privilegiis variorum Pontificum (1). Animadvertendum est autem hic, quod confessorius debet in hoc obtinere licentiam specialem, et saltem a Superiore inferiore sui monasterii (2).

109. Possunt praeterea confessorii Mendicantes dispensare cum conjugibus in voto castitatis elicto ante matrimonium, ad petendum debitum, sicuti etiam communiter dicunt Castrop. Pont. Sanch. Tourn. Wigandt Salm. etc. ex privilegio s. Pii V. Et etiam in voto elicto post matrimonium, uti rite existimant Sanch. Salmant. etc. (contra Pontium) ex aliis privilegiis, ex quibus possunt ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus valent *de jure ordinario* dispensare Episcopi cum suis subditis (3). Id vero, quod magis ambigitur, est, utrum in casu necessitatis possint dispensare cum sponsis, ut possunt Episcopi in voto castitatis ad contrahendum matrimonium? Plerique affirmant, ut Anacletus Vidal Basseus Henric. etc., quam sententiam probabilem judicant Salm. et Elbel: sed communius negant Layman Barbosa Sanch. et Pont., dicentes, quod Regulares possunt dispensare solum in votis, in quibus valent dispensare Episcopi *de jure ordinario*, sed non extraordinario, ut in casu isto. Respondent autem adversarii in casu necessitatis Episcopos, etiam *de jure ordinario* dispensare, cum sit hujusmodi potestas annexa eorum officio et dignitati, ut dictum fuit n. 34. et 41. Unde non possumus habere ut improbabilem primam sententiam (4).

110. 6. Cum saecularibus coacceditur facultas deligendi sibi confessorium, aut a Summo Pontifice, aut

(1) L. 6. n. 1076. v. insuper. (2) *Ibid.* v. an autem. — (3) L. 6. 987. v. an autem, et n. 1128. — (4) *Ibid.* circa fin.

ab eorum Ordinario, semper supponitur, quod sit confessorius approbatus ab Episcopo; sed Regulares ex expressa, aut tacita sui Superioris licentia possunt confiteri cuicumque simplici sacerdoti: quod communiter existimatur cum Suar. Lugo Salmant. etc. (1). Quare omnes Superiores regulares possunt sibi eligere in confessorium quemlibet sacerdotem, ut etiam communiter dicunt *dd. ex cap. ult. de Pœnit. et Rem.* Idem vero quod pro Religiosis, valet et pro famulis commensalibus monasterii, uti habetur ex *Trid. sess. 25. c. 11.* ex quo possunt recipere a Religiosis Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis. Et idem valet quoad novitios, qui *in favorabilibus* sub Religiosorum nomine veniunt, ut omnes fatentur, et declaravit S. C. die 14. Augusti 1663. Quare ipsi possunt absolvi ab omnibus casibus ab Episcopo reservatis (2), ut dictum est n. 95. Sed id non valet pro Equitibus s. Jacobi, et similibus, ut dicunt Salmant. cum communi, nam hujusmodi viget consuetudo (3).

111. Adnotandum insuper, quod Religiosi peregrinantes, si habeant socium (dummodo sit idoneus) ejusdem Ordinis, illi confiteri debent. Si vero desit socius, aut alius ejusdem Ordinis sacerdos, tunc confiteri possunt cuilibet sacerdoti idoneo regulari, aut saeculari: quod commune est apud omnes. Sed quaeritur utrum talis sacerdos approbatus in illo loco esse debeat? Ita volunt pauci quidam, ut Wigandt Conc. etc.; sed communissime, et quidem recte negant Suar. Ronc. Castrop. Salmant. Elbel, aliique. Et quia talis est consuetudo religiosum, quae facit praesumere consensum Ordinariorum; et quia Innocentius VIII. absolute concessit Religiosis peregrinantibus, ut, cum non possent habere sui Ordinis Confessorium, *quemcumque alium pres-*

(1) Salm. tr. 48. c. 4. n. 49. — (2) *Ibid.* n. 57. — (3) *Ibid.* n. 53.

byterum idoneum religiosum, vel saecularem eligere valeant (4). Vide quae diximus *Tr. 16. n. 88.*

112. Dicunt insuper Lugo (5), et Salmant. (6) cum Navarro Soto Castrop. Peyrino Bossio etc. quod tempore generalis jubilaei possint Regulares, et etiam Moniales sine suorum Superiorum licentia confiteri Religiosis alterius Ordinis, licet haberent confessorium Ordinis, sibi assignatum, ex pluribus privilegiis, quae referunt Lugo Mendo etc. (7).

113. 7. Regulares, quoad Ordines, non recipiunt litteras dimissoriales ab Episcopis, sed ab eorum Superioribus; aliter graviter peccant, et incurrun suspensionem. Attamen quoad recipiendos Ordines, primo s. Pius V. ipsis concessit privilegium recipiendi Ordines a quocumque Episcopo, sed hoc revocatum fuit per Gregorium XV. Quae abrogatio confirmata est a pluribus aliis Pontificibus, et nuper a Benedicto XIV. Bulla *Impositi Nobis* etc. 27. Febr. anno 1747, qua praeterea praecipitur ut, si loci Ordinarius Ordinationem tenet, ab ipso debeat examinari et ordinari Religiosus; quod si Episcopus absit, aut non habeat Ordinationem, potest ordinari ab alio Episcopo, sed tunc requiritur attestatio authentica vel Vicarii generalis, vel secretarii, aut Cancellarii ipsius Episcopi, qua constet aut vel ipsum abesse a diecesesi, vel Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per leges ecclesiasticas statuto. Et praecipit idem Pontifex hoc expresse declarandum esse ut cognoscatur, quod non sufficit, ut dicatur Episcopus Ordinationem non habiturus, si accedant extra tempora; aliter eadem subit poenas, quas subeunt, qui sine dimissorialibus litteris ordinantur. Insuper velatur Religioso, ne alibi data opera permaneat, ut exi-

(4) Vide opus nost. L. 6. n. 575. — (5) D. 20. n. 86. — (6) *Tr. 18. c. 4. n. 124.* — (7) Vide opus nostrum l. 6. n. 536. v. hic addendum.

mat se ab examine episcopi loci, ubi prius morabatur. Religiosi vero morantes in diocesisibus quæ sunt *nulius*, ordinari debent ab Episcopo viciniore (1).

114. Quæritur hic 1. a quo debeant ordinari novitii? Dicunt Suarez et Henriquez, ab Ordinario, aut originis, aut domicili; sed Sanchez Castrop. Delbene et Fagnanus cum aliis existimant quod possint ordinari ab Ordinario loci, ubi est novitiatus. Recte dicunt La-Croix, et p. Mazz. utramque sententiam esse probabilem, dummodo (quoad hanc secundam) novitius animum habeat. quantum in se est, perpetuo permanendi in illo monasterio, in quo est, et hac de re iuramentum præbeat, ut præcipitur in Bulla *Speculatores* (2).

115. Quæritur secundo utrum Religiosi possint ordinari *extra tempora*? Negant Vasquez Lezana, etc.: etenim aiunt, quod etsi Gregorius XIII. id concesserit Jesuitis, attamen prohibuit communicationem. Sed hodie non amplius est in dubium revocandum, quin possint tam ex multis privilegiis concessis aliis religionibus, quam ex declaratione nuper facta per Benedictum XIII. in Concilio romano (*Tit. 5. cap. 2.*) in quo statutum fuit, quod talia privilegia *in suo robore persistant, nec eis derogatum fuisse constet* (3).

116. Quæritur tertio utrum, cum ordinantur Regulares *extra tempora*, valeant ordinari quocumque die in quo fit officium duplex, etiamsi non sit festum de præcepto? Affirmant Fagundez Villalob. Diana, etc., et dicunt esse probabile Suar. aliique; quia Alexander VI., cum ageret de huiusmodi privilegio, dixit posse ordinari *diebus dominicis, sive festivis duplicibus*, at non dixit de *præcepto*. Hanc opinionem rejicere non audeo; existimo tamen probabiliorum oppositam cum Lugo Morio et Escobar. quia Gregorius XII. agens de eodem

(1) N. 768. et n. 788. notand. 8. — (2) N. 765 — (3) N. 797. dubit. 3.

privilegio declaravit, dicens, *diebus dominicis, et festivis diebus*, et non dixit *duplicibus*: Dies festivus proprie accipitur ille, in quo vetantur opera: unde intelligitur de præcepto. Et revera usus obtinet quoad omnes eos, qui dispensatione ordinantur: *in tribus diebus festivis*, pro quibus valet eadem regula (4).

117. Quo vero ad potestatem conferendi Ordines, olim Abbates regulares ex concessione ipsis facta in Synodo VII. (sicuti habetur in *can. Quoniam Dist. 166.*) poterant ministrare Tonsuram, et Ordines minores, non solum suis subditis religionibus, sed omnibus aliis. Attamen per *Trid. sess. 23. c. 10.* huiusmodi potestas fuit ipsis limitata pro solis regularibus subditis. His tamen non obstantibus plerique dd. sustinuerunt, Abbates, saltem mitratos (ut existimant Salmanticenses, et adducunt plura S. C. Decreta), qui possunt pontificalia exercere, posse ordinare etiam sæculares suos subditos, et etiam alios, habentes dimissoriales litteras suorum Ordinariorum, nihilominus omnes istæ opiniones locum amplius hodie non obtinent post Decretum S. C. approbatum ab Urbano VIII. die 17. januarii anno 1642., in quo, rejecta quacumque contraria sententia, prohibitum fuit Abbatibus, ne Ordines conferrent, vel litteras dimissoriales concederent aliis, quam solis subditis regularibus; iisque contrarium facientibus suspensio imposita fuit. Excipiuntur tamen plerique descripti in Cancellaria rom., qui privilegium habent dimissoriales epistolas concedendi, ut Abbas Montis Cassinensis, Abbas Cavensis etc. (5).

118. Quæritur hic 1. utrum Abbates habentes jurisdictionem pene episcopalem in aliquo territorio separato, possint ordinare suos subditos sæculares? Molfesius apud La-Croix (6) affert declarationem affir-

(4) N. 797. dubit. 4. — (5) L. 6. n. 763 — (6) Cr. l. 6. p. 2. n. 2236.

mativam S. C.; sed Benedict. XIV. (1) refert alteram contrariam, et idem affert decisum p. Zaccharia apud La-Croix loco citato.

119. Quæritur 2. utrum Abbates, qui possunt ordinare subditos professos, valeant et novitios? Negant Castrop. Barbosa Sayrus, etc.; communius autem et probabilius affirmant Suarez Layman Sanchez Escobar. et Salmant. cum aliis, quoniam in *favorabilibus* regulariter sub Regularium nomine veniunt etiam novitii (ut diximus n. 110.).

120. Quæritur 3. utrum Ordines collati ab huiusmodi Abbatibus, sæcularibus, aut regularibus non subditis, sint validi? Negant Suarez La-Croix, etc.; sed affirmandum est cum Sanchez Salm. Tamb. Pelliz. etc., quia hæc facultas (ut diximus) olim fuit concessa Abbatibus: et a Concilio deinde et a Decreto Urbani vetitum illis fuit tantum facultatis exercitium: unde ipsi illicite, sed valide ordinant. Et quod ita se res habeat, apparet ex eodem Decreto Urbani, in quo ordinatis imponitur suspensio. Pro validis itaque habentur Ordines iis collati. Et ita decisum pluries per S. C. affert Bened. XIV. (2).

121. VIII. Quoad celebrandam Missam, et ministrandam Eucharistiam, olim ex privilegiis Sixti IV., Alex. VI., et Urbani VIII. poterant celebrare in altari portatili, tam in suis domibus quam in suis ruralibus domibus vulgo *Grancie*, etiam contradicente Episcopo. Sed Clemens XI. anno 1703 suo Decreto declaravit, quod omnia eorum privilegia celebrandi in altari portatili revocata sint per Tridentinum. Idemque declaravit Bened. XIV. in Bulla *Magno*, edita 2. jun. 1751. § 29.; nec possum assentiri p. Mazzotta dicenti huiusmodi prohibitiones intelligi factas quoad domus

(1) De Synod. l. 2. c. 41. n. 45. — (2) Vide opus l. 6. n. 766. et de synod. l. 2. c. 41. n. 43.

privatas, sed non quoad proprias Religiosorum; nam in Decreto Clementis agitur de privilegio celebrandi *in locis, in quibus degunt*; loca autem, in quibus degitur, sunt domus propriae, non alienæ Innocentius I. super XIII. anno 1723. in Bulla *Apostolici ministerii*, prohibuit, *ne in privatis Regularium cellis seu cubiculis erigatur altare, remota quacumque in contrarium consuetudine* (3). Sciatur tamen, quod Greg. XIII. concessit Provincialibus Jesuitarum facultatem deputandi publica oratoria in suis ecclesiis, in quibus omnes possint celebrare, etc. (4).

122. Ex privilegio Greg. XIII. possunt Regulares celebrare una hora ante auroram; quare valent celebrare Missam tribus horis ante solis ortum; ita Lugo Suarez Rodriq. Salm. etc. (5). Immo cum adest aliqua justa causa, possunt celebrare immediate post duas horas post mediam noctem ex privilegiis Alexandri VI. et Clementis VII. Et huiusmodi privilegia dicunt Lugo Rodriq. Diana Narbona et Salm. cum aliis non esse revocata per Tridentinum *sess. 22. de observand. et evitand. etc.* Momentamen prædicti dd. id valere tantum pro ecclesiis propriis, in quibus tamen (subdunt) possunt huiusmodi privilegio uti etiam sacerdotes sæculares (6). Insuper Eugenius V. concessit Regularibus licentiam celebrandi tribus horis post meridiem, justa tamen ex causa; attamen Azorius Fag., aliique dicunt, huiusmodi privilegium fuisse revocatum per S. Pium Bulla, *Aman-tissimus*, anno 1566. cuius rei Lezana affert Declarationem S. C. Sed his non obstantibus, dicunt Lugo (7) Salmanticenses cum Aversa Dicastillo Narbona Diana, etc. authentice non

(3) Salm. tr. 15. c. 7. n. 97. — (4) Vide opus nostrum l. 6. n. 360. et ib. v. hanc. — (5) apud Merat. p. 4. tit. 45. ad lit. Y. — (6) Salm. tr. 15. c. 7. n. 94. — (7) de Lugo de Euch. d. 20. n. 27. et Salm. ib. n. 95.

constare de dicta Declaratione, nec de revocatione S. Pii, qui loquutus fuit de Missis tantum, quæ celebrantur de sero, etiam forsan, circa solis occasum; unde dicunt, vigere privilegium Eug. IV., et ut quis illo utatur sufficere quamcumque mediocrem causam, ut convalescentiæ, studii, et similibus.

123. Quo vero ad ministrandam Eucharistiam Paulus III., alique Pontifices concesserunt Regularibus facultatem ministrandi in suis ecclesiis omnibus fidelibus. Excipitur tamen 1. Si Episcopus rationabiliter prohiberet alicui, ne Eucharistiam sumeret. Excipitur 2. Communio in mortis articulo, aut periculo, dummodo non adsit extrema aut gravis necessitas, et parochus nequeat, aut nolit ministrare; Lugo Ronc. etc. (1). Excipitur tertio Communio paschalis, id est illa, qua præcepto satisficit, ut communiter aiunt Filliuc. Sa Busemb. etc. Videantur hac de re, quæ dicta sunt *Tr.* 12. n. 41.

124. Quoad facultatem concionandi, olim Regulares ex Clementina *Dudum de sepult.* poterant libere prædicare in suis ecclesiis, et in plateis, sed *Trid. sess. 5. c. 2. de Reform.* statuit, ne in alienis ecclesiis prædicare possent sine licentia Ordinarii, et in ecclesiis propriis sui Ordinis, antequam benedictionem petant ab Episcopo. Quare Religiosis, ut in suis concionentur ecclesiis sufficit, ut petant benedictionem, et si illa denegetur, ut dicunt Lez. Pelliz. Bord. et Salm. cum aliis, adducto Decreto S. C. (2). Sed huiusmodi benedictio, ut dicunt Salm. non requiritur, ut prædicent per plateas; nam Concilium loquitur solum de ecclesiis. Semper tamen debent Regulares habere approbationem suorum Superiorum, qui peccarent, si nullo eorum præhabito examine, iis prædicare permitterent (3). Possunt

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 219. et 240. — (2) Salm. tr. 48. c. 4. n. 178 — (3) lb. n. 476. et 177.

autem Superiores committere, etiam simplicibus clericis tonsuratis ut prædicent, ex privilegio Greg. XIII. Licet S. C. generaliter declaraverit, prædicationem posse committi cuicumque tonsurato (4).

125. Quo vero ad ecclesias alienas, ut dictum est, Regulares ibi prædicare non possunt sine venia Ordinarii, nisi id esset pro duobus aut tribus vicibus, ut dicunt Nav. Barb. Diana Salm., alique; aut dummodo Ordinarius non maneret inibi, et Religiosus aliquis transeunter ibi esset; quia tunc potest illi parochus licentiam concedere prædicandi, ut concessit Greg. XIII. (5). Quando tamen Ordinarius veniam concederet, Religiosus valet concionari in parochiis, etiam contradicente parocho, et quia Ordinarius est parochi Superior, et quia id fuit expresse concessum per Alex. IV. (6).

126. Quæritur 1. utrum liceat Regularibus concionari, contradicente Episcopo? Quando sunt alienæ ecclesiæ, et Episcopus ab initio veniam denegat, proculdubio non licet. Sed si Episcopus jam concessisset licentiam et deinde vellet eam revocare, aut si ecclesiæ esse non propria, dicunt Peyr. Vega Pelliz. et Salm. cum Diana, etc. (7) posse prædicare. Sed huic obstat quod in Tridentino statuitur (*sess. 24. c. 4. de Reform.*); *Nullus autem secularis, sive Regularis, ... contradicente Episcopo, prædicare præsumat.* Obstat insuper Bulla Greg. XV. *Inscrutabili*, in qua statuitur, Episcopum, ut delegatum apostolicæ Sedis; posse punire Religiosos, qui in alienis ecclesiis suorum Ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint. Sed respondent Salm. quod tam prædicta Bulla, quam Concilium accipiendæ sint iuxta id, quod statuitur in Clementina *Dudum* supracitata, in qua prohibe-

(4) lb. n. 474. — (5) lb. n. 484. — (6) Salm. tr. 48. c. 4. n. 189. — (7) lb. n. 481.

tur prædicare, quando prædicat Episcopus, aut quando solemniter coram ipso prædicatur. Et ita decisum referunt per S. C. Episcoporum et Regularium die 30. jan. 1629. apud Barb. (1). Cum ego tamen observassem Barbosam loc. cit., inveni, quod S. C. declaratio fuerit solummodo quoad conciones in ecclesiis propriis Regularium. Unde quoad ecclesias alienas mihi non videtur probabilis supradicta responsio.

127. Quæritur 2. utrum Episcopus valeat examinare Religiosos petentes veniam concionandi in ecclesiis non propriis? S. C. apud Barb. (2) die 12. januar. anno 1628. statuit affirmative; sed negant Salm. (3) cum Pelliz. Bord. Diana Peyr. etc. ex Bulla Leonis X. *Superna*, in qua statutum fuit, ut nemo ad concionandum admitteretur, nisi prius per Superiores suos respective examinatus; et deinde declaratum fuit ibidem, quod Religiosus approbationem sui Superioris ostendere debet. Respondent deinde Salm. cum Pelliz. et Granada supradictam contrariam S. C. Declarationem non amplius quam probabilem præ se ferre sententiam; unde non esse præferendam Bullæ Leonis. At, inquam, saltem probabile est ex dicta Declara-

(1) In *Trid. sess. 5. c. 2.* — (2) Loc. cit. — (3) Salm. tr. 48. c. 4. n. 186.

tionem, quod Episcopus valeat examinare, et aliter negare possit licentiam. E contrario Bulla Leonis prohibet Episcopis, ne admittant Religiosum, non afferentem approbationem sui Superioris, sed non vetat illum examinare, si velit et negare veniam, si ipse renuat examinari.

128. Animadvertendum tandem est, Ordinarium ex Concil. Lateranensi V. posse suspendere et punire concionatores regulares in tribus casibus in quibus immo ipsi ipso facto suspenduntur a concionando: 1. Si prædicent miranda, falsa, aut incerta. 2. Si prædicent prophetias non fundatas in sacra Scriptura, aut non approbatas a Sede apostolica. 3. Si prædicando detrahunt Episcopis, et suis Superioribus. Insuper ex *Trid. sess. 5. c. 2.* Episcopus potest suspendere et punire Regulares illos, qui prædicant propositiones hæreticas, erroneas, aut scandalosas (4). Demum adnotandum quod Urbanus VIII. in *Constit. alias felicis rec.*, etc. data 11. april. 1635. (in extensum relata apud p. Ferrar. *Bibl. tom. 5. verb. Oracula*, pag. 342. n. 9.) revocavit omnia privilegia ab antecessoribus regularibus concessa *viva vocis oraculo*, exceptis iis quæ testificata fuerint per ministros quibus vi sui officii fides adhiberi solet.

(4) Salm. lb. n. 488.

TRACTATUS XXI.

DE CHARITATE ET PRUDENTIA CONFESSARII.

PUNCTUM UNICUM.

1. De confessarii charitate in excipiendo penitente.
2. In eo audiendo.
3. In eo corrigendo.
4. De prudentia in interrogando, admonendo, et disponendo.
5. Remedia generalia.
6. Remedia particularia.

1. Quatuor sunt officia quæ bonus confessarius exercere debet, patris nempe, medici, doctoris et iudicis.

Quod autem attinet ad doctoris et iudicis officium, sat de eo actum est in opere in omnibus tractatibus hucusque expositis. Restat nunc agendum de officio patris ad quod pertinet charitas, et de officio medici ad quod spectat prudentia. Confessarius, ut boni patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint.